



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 1. Impatientia hominum iniustè de bestijs querentium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

## C A P V T X V.

*Iniustum esse, contra bestias, querelam;  
justam autem Dei contra homines be-  
stias inobedientiores, ac proinde  
merito puniendos,*

§. I.

*Impatientia hominum injustè de bestiis  
querentium.*

**T**ot, tamque manifestis exemplis  
tria demonstro. 1. Nullam posse  
esse justam, contra animalium  
injurias, querelam. 2. Erubescen-  
dum hominibus, Deo non obedientibus,  
cum videant sibi bruta animalia, & quidem  
fortissima etiam, atq; alioqui ferocissima,  
tam exacte, & ad amissim obediens. 3. Di-  
gnos esse proinde, & meritò à bestiis pu-  
niendos, quicunque contra Deum delin-  
quunt, & ipsis bestiis sunt obstinationes.  
Ad primum enim quod attinet, nonne ca-  
uere potest dentes, vngues, cornua, aut ve-  
nena bestiarum, qui oculis prædictus est,  
quibus videat; pedibus, quibus fugiat, ma-  
nibus quibus repellat; ingenio, quo vincat  
quidquid est vel dente noxiū, vel vngue  
metuendum, vel cornu formidabile, vel ve-

neno

neno insidiosum? Vnde ergo tanta homi-  
nis impatientia? vnde querimoniae? vnde  
murmurations & execrations? Erum-  
punt in indignationem nonnulli delicati,  
si quando eos non leo, non lupus, non  
rabidus canis, sed vel pulex, aut musca mo-  
mordit? quid si viperæ, quid si panthera  
in eos dentem fixisset? sentiunt se morde-  
ri, vt homines se esse meminerint; vt dis-  
cant cauere; vt assuescant aliquid pati; vt  
agnoscant, quantum sit beneficium, à bel-  
luis defendi; in quarum vngues & fauces  
quotidie incidere possent. Et incident ali-  
quādo, quia id meruerunt; cùm ob leuis-  
sima incomoda murmurauerint; vt Israë-  
litico populo contigit, in quem igniti ser-  
pentes sœuierunt. Itaq; custodite vos à mur-  
muratione, que nihil prodest; &, in omnibus  
gratias agite. In vsum datæ sunt vobis be-  
stiæ, immo & in seruitutem. Magnum do-  
minium hoc, magnū est beneficium. Quan-  
dopro eo, gratias egistis? Nocuerunt quan-  
doque bestiæ? sæpius profuerunt. Nocue-  
runt bestiæ hominibus? sed nocentib<sup>9</sup>, sed  
incautis, sed malo dignis nocuerunt. A grè  
fertis, si agros vestros deuastant apri? si in  
segetes cerui intrant, & sata depascuntur?

Nū. 21. 6.  
Sap. 1. 11.  
1. Tsel-  
sal. 5. 18.

Plin l. 15, si oleam lambendo capra linguâ contigit?  
**cap. 28,** rit, coegeritq; sterilescere? si in vineam  
 hoedus irrupit, si vitium palmites defolia-  
 uit? Indignum esse putatis, vt damno vos  
 afficiant animalia in utilitatem creata? vt  
 martes columbas jugulet? vt vulpes galli-  
 nam, lupus ouem auferat? vt ursus equum,  
 aut bouem occidat? vt scorpio filiolum  
 percutiat? ob haec talia iracundiam repre-  
 mere, & ad vos redire non potestis? Ni-  
 mirum per ista vult vobis Deus ostendere,  
 quo ipse in vos animo esse debeat, qui &  
 ipsi longè peruicaciūs Domino vestro re-  
 bellatis. Nihil à vobis bestiæ, vos omnia à  
 Deo accepistis: non ergo illæ vobis, sed vos  
 Deo obligati estis. Longè igitur justius ille  
 de vobis; quam vos de bestijs, conqueri  
 potest ac dicere: *Filios enutriui & exaltavi,*  
*ipsi autem spreuerunt me.*

## §. II.

*Homines canibus ingratiores, leonibus sanguiniores, injustè, contra bestias, queri.*  
**S. Am-**  
**bros. li, c.**  
**c. 4. He-**  
**xecam.**  
Quid de canibus loquar. ait S. Ambrosius,  
 quibus insitū est natura quadam, referre gratiam,  
 & solitas excubias, pro dominorum  
 salute, pretendere. Quis non erubescat gratiam  
 bene de se merentibus non referre, cùm videat